

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0303

0301

0307

0297

0312

0292

0352

0252

0402

0202

0802

Ende

Anfang

290

Facta est autem haec civitatis sanctae deditio die secunda Octobris, qui erat decimus quartus obsidionis, anno Domini 1187. feria sexta, anno LXXXIX., postquam Christianorum fuerat.

Praeconizatum est ergo per urbem, ut omnes, qui in urbe erant Christiani, post tres dies ex urbe migrarent vel se servituti Saladinis pagani subjicerent, quod jam dudum per Papam fuit gravissimis censuris inhibitum, ne in tali causa Christianus manere praesumeret, qui autem maneret, excommunicatus, anathematisatus et penitus ab ecclesia abscissus esset. Ad hanc lugubrem vocem praeconis tantus clamor plangentium ortus est in Jerusalem, ut usque ad aliqua milioria audiretur lamentatio Christianorum. Dicitur etiam, quod ipse Saladinus et sui crudeles principes emolliti et perterriti ejulatibus et lamentis Christianorum humana compassionem ad fletum moti fuerint et quod omni petenti promissam pecuniam remiserit. Praecepit insuper Saladinus suis exercitibus, ne quis urbem intraret ante diem statutum exitus Christianorum. Igitur die statuta Christiani cum universa supellectili exeuntis intolerabili clamore et lamento coelum replebant et terram turbabant, cunctos autem praecessit Heraclius patriarcha Ierosolymitanus cum cruce, cum clero et monachis et religiosis utriusque sexus, cum virginibus, quae conclusae fuerant, qui omnes magno facto agmine patriarcham sequebantur portantes imagines et cruces, reliquias et monstrantias, quae conculcata fuissent ab infidelibus. Post hos sequebantur nobiles et bellatores, demissis capitibus, verecundi et tristes, et consequenter vulgus promiscui sexus, cum impatientia portantes parvulos suos, qui cum pecudibus ejulabant et flebant.

Divisi sunt autem Christiani ante civitatem, et pars Alexandriam, pars Tyrum, et pars Antiochiam emigravit, et ad alios maris portus descenderunt isti, ad alios illi, quia quidam erant Siculi, et illi petebant Alexandrinum portum, alii Itali et Theutonici, et illi Tyrum petebant vel Tripolim, et ad hunc Tripolitanum portum major pars descendit, sed quod migrantibus apud Tripolim contigerit, vix sine lacrimis et nullo modo sine compassionem enarrari potest. Cum enim expulsi Jerusalem tristes appropinquassent civitati Tripolitanae,

